



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento  
Selectæ**

**Pexenfelder, Michael**

**[S.l.], 1711**

XLV. Abimilechi, Gedeo[n]is filij. crudelitas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

NARRATIO XLV.  
 ABIMELECHI GE-  
 DEONIS FILII, CRUDE-  
 LITAS ET INTERITUS.

Judic. 9.

Anno Mundi 2801. Ante Christum, 1252.

**G** Edeon optimi per omnia Judicis, seu Prætoris Hebræi, ac Ducis, functus officio, potestatemque & DEO constanter, & populi commodis utilissimè servisset: annis in prætura gentis quadraginta decursis, abiit è vitæ stadio. Quò vivis exemptò, tribus omnes Israëliticæ deficiences, unà cum filijs Gedeonis, quorum erant septuaginta, ad impura Jovis *Beli* seu *Baalis*, cæterorumque Deorum Sacra relabantur. Digni proinde, quibus Justitia DEI Vindex, peccati supplicium, suismet è visceribus excitaret: hoc est, Tyrannum, non jam alienigenam, sed domesticum & consanguineum.

Erat inter filios Gedeonis *Abimelèchus*, è matre *Sichimitide* genitus: & ob id ipsum, quod mater conditionis inferioris uxor; (Gedeon enim erat polygamus, pro illorum temporum ratione) nec inter primarias fuisset habita, cæteris fratrum plerisque posthabitus, utpote qui patris, matrumque nobilitate gloriari possent ex æquo. Quæ res homini, cæteroquin non ambizioso modò, sed etiam feroci, offensionumque tenaci, causâ fuit ad ultionem,



decessu genitoris, explendam, & altiùs sese effe-  
 rendum. Post iusta igitur Patri soluta. simulat ad  
 fratres ceteros, pietatis, officiique causâ, visen-  
 dam sibi maternam esse domum: & *Ephrâ* (natali  
 sede) *Sichimam*, præcipuam Ephræmæ Tribûs ur-  
 bem, proficiscendum. Quò ubi pervenit, concep-  
 tum animo facinus invadendi regni, non dissimu-  
 lanter effundit; haud multò post etiam vindictæ  
 cruentam cupiditatem profusus. Adjutores ei se  
 præbuerunt, magno numero, materni sanguinis  
 propinqui, homines factiosi, & novis rebus studen-  
 tes. Horum consiliò & opera, depromitur pecu-  
 nia ex fano Baalis, in conductionem, stipendiùm-  
 que militis; nemine tamen ingenuo, aut viro for-  
 ti, sui que laris, nomen dante. Illecti numis, ac  
 spe prædandi lurcones, obærat, latrones, fures;  
 quique rem domesticam luxu profligârunt; ac  
 propter flagitia, patrijs expulsi terris, vitam ino-  
 pem, vagamque mendicitatem, ad incerta fortu-  
 næ circumferebant.

Cum hac hominum sæce, suis armis instructa, è  
 Sichimis Ephram versus movet; urbem nihil tunc  
 minus, quàm belli cogitationes alentem; ac po-  
 tissimùm ab alumno, civèque nil metuentem inva-  
 dit. Quà celeriter captâ, in domum paternam ir-  
 rumpit, fratres eorum omnium securos, ac periculo-  
 rum incogitantes comprehendit, & exceptò Joatha-  
 mò solò) quem latebræ tantisper, Deique cura dis-  
 crimini subtraxerant) in custodiam, catenasque  
 compingit. Deinde die dicta, productos in forum,  
 dicere causam ex vinculis cogit; varijs, iisque pô-  
 tissimùm criminibus oppressos, quæ Sichimis nu-  
 per



per in eos per calumniam concinnarat, atque contig-  
 gesserat: videlicet Jerobaalis, hoc est, vastatoris  
*Beli*; filios, fratres suos, quantumcunque nunc *E-*  
*phodo* suo (Epomidi Sacrificiali, artis raræ, pretiique  
 à Gedeone, victoriæ, religionisque monumento  
 hæredibus relicto) Beloque, studere videantur:  
 ipsa paterni nominis recordatione perpetua stimu-  
 latus; simulac dominari cœperint, in *Baalis*, ac si-  
 mulacrorum excidium tota mente incubituros; eo  
 ipso nomine se exosum ijs effecturum se, si rei summa sibi  
 à Sichimitis deferatur, ut non focus tantum, sed aris  
 lucisque optimè sit consultum; neque verò salvam  
 esse posse Rempublicam, quam totidem reguli,  
 quot Gedeonis filij, in factiones distrahant; remo-  
 tis æmulis, imperium uni tutò committi.

Illi miseri, cum nec seipsos adversus potentiam  
 armatam, defendere satis possent; nec ab aliis, ho-  
 stilitate perterritis, auderent defendi, capitis dan-  
 nantur omnes: dièque constituta, miserandò cru-  
 delitatis spectaculò trahuntur ad supplicium, à fra-  
 tre fratres duodeseptuaginta. Supplicio locus de-  
 ligitur (ò theatrum acerbum!) scopulus urbis *E-*  
*phræ* publicus, in summo plus latitudinis habens,  
 quàm fastigii. Feriuntur securi post alium alius, in  
 oculis civitatis illius, quæ patri Praturæ sedes, ac  
 patria fuerat, Gedeonis omnes filii: nemine contra  
 vel manum; vel, quod minimum fuerat, os saltem  
 ac linguam commovente. Adeò nec *Ephræorum*  
 quidem, nedum reliquorum ex *Hebræis*, ad pa-  
 trocinii misericordiam, fraternus à fratre funder-  
 dus cruor quemquam inflexit. Non DEI memo-  
 ria; cujus opè Gedeon, pater eorum, gentem uni-  
 versam



versam in libertatem asseruerat : non ipsius Gedeonis grata recordatio ; cuius tuba , gladius , victoria , triumphus , & annorum quadraginta clementissima prætura , bonis omnibus Israëlem cumulârat. Cæde tam atroci perfectâ , Abimelechus Ephrâ Sichimam recurrit , & in Regem , re ipsa Tyrannum , non sine cæremoniis inauguratur. Exortâ brevi , seditione civium , odiô Tyranni corripientium arma ; configitur ante urbem ; cæduntur magna strage conjurati , Duce *Gaale*. Abimelechus urbem oppugnat , & fraude *Zehulis* , urbis præfecti , captam incendit : quôdque incolarum in ea repertum est , nullô sexûs , ætatisve discrimine trucidat ; Salem per omnes passim urbis ruinas ac rudera spargendum mandat : ut Sichima , ne fundus quidem aliquando arabilis fieri posset. Confugerat magnavis hominum in arcem mœnibus consertam , turritam & propugnaculis permunitam ; cui Tyrannus circumpositis in orbem ingentium frondium acervis , primus ipse subdere cæpit facem ; exemplum Imperatoris strenuè sequentibus cæteris omnibus ; humidâ ramorum materiâ , quantò malignius primo flammam concipiente , tantò spissius , copiosiusque flammarum fenum evolvente : donec spatium moræ , ventorumque flatu , convalescens tandem incendium , & ab imò volutum ad superiora , arcem comprehendit , & absumpsit.

Hunc in modum Sichimitæ meritas DEO , & Gedeoni pependerunt pænas ; nec sua diu Tyrannum fata morata sunt. Nam annô post tertiô , *Theben* oppidum , Sichimitarum fugientium receptaculum oppugnare adortus ; occupavit , ac diripuit. Urbe

N

in



in potestatem redacta, plurimi mortalium in turrim se receperant, sitam in medio civitatis, & propter egregias ædificationes ac propugnacula, Arcis nomine insignitam. Eodem non armorum modò, sed missilium, ac fortuiti generis instrumentorum vim ingentem apportârant, quibus subeuntes oppugnatores arcerent. Certabatur igitur, hinc quidem telis & fundis, ac per catapultas adactis, perque tormenta molibus: inde verò regeſtis jaculis, ac devolutis in oppugnantes faxis; arborum truncis, ædium trabibus aqua, glareaque fervente: denique, quodcunque defendendi sui causâ, telum fors dedisset in manum, aut desperationi proximus furor ostendisset. Fervebat æstus certaminis: & inter certantes fortissimus, ac virtutis ostentator Abimelechus, quærebat omnem capiendæ turris aditum. Postremò, cum nihil succederet, ad incendiarias suas conversus artes, propius portæ succedit arcis, aggestisque virgultis, subdere facem conatur, ad Turrim unâ cum infessoribus inflammandam. Hæc molientem, una ex propugnatricibus conspicata, fragmen molæ lapideum deijcit, hominẽque craniò fractò proſternit. Ille cerebro defluente, mistum sanguinis rivum advertens, nec auctorem vulneris ignorans, in ea mortis necessitate, mandat ex armigeris uni, proximo stanti, ut se ferrò conficiat, mortẽque jam captam absolvat, ne cædis gloria manui muliebri tribueretur. Ita mortis dedecus parricidiò propriò geminavit, & sædam animam Tartaro transmisit. Qui tot jam pridem animi propudijs subactus, erubescere non debuerat, à lapide, sæminæ manu jacto,

semel



semel occumbere; quamquam illa librantis saxum dextera, non tam fuerit mulieris, sed divinæ justitiæ, quæ jactu tam perito caput noxium elisit, ac talionem rependit homini illi, qui prius lapides e-rexerat Dijs profanis in aras impias, saxa DEO ve-ro in aras constructa subverterat, & supra scopulū saxa nefarius parricida tam feralem fratrum duode-septuaginta lanienam instituerat.

NARRATIO XLVI.

RUTHAE MOABI-  
TIDIS AD CULTUM DI-  
VINUM TRADUCTIO, ET FELICES  
NUPTIÆ. Lib. Ruth.

Anno Mundi 2810. Ante Christum 1243.

**A** Equum est Divinæ manum exosculari Pro-  
videntiæ, sive mitiorem se nobis præbeat,  
sive austeriorem. Meruerunt Abimelechi,  
& Sichimitarum, præ alijs, flagitia, omnem ut Cha-  
nanitidem novum flagellum, fames scilicet, casti-  
garet. Quia tamen multorum innocentia, calida  
mittebat in cœlum suspiria; ita Justitia Divina strin-  
xit virgam, ut ei frondem olivæ innecteret Misere-  
cordia. Sterilis Palæstinæ squalor, felicitatum  
omnium Copiæ Cornu, Messiam, acceleravit. E-  
jus rei narratio hæc est.

Terram nuper melle, lactéque, & rerum omni-  
um ubertate manantem, immissa cœlitus fames  
afflixit adeò, ut multis, si vitam vellent conserva-  
tam,